



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema IX. Cur Arbor mala non possit bonos fructus facere? Dominica VII. Post Pentecosten. Non potest Arbor mala bonos fructus facere. Matth.  
7. v. 18.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA IX.

Cur Arbor mala non posset bonos fructus facere?

## DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

*Non potest Arbor mala bonos fructus facere.*

Matth. 7. v. 18.

**D**odoxum est, quod loquitur hodie Christus negans à mala arbore bonum fieri posse fructum. quid enim? nunquid arbor mala Latro in Cruce fuit, & talem tulit fructum, ut paradiſo mox infesti meruerit? nunquid mala arbor Nabuchodonosor ita ut succidi debuerit, & tamen pretiosissimos penitentiae fecit fructus? nunquid omnes Ninivitae, Samaritae, plurimi Israëlitae, aliquot insuper Apostoli arbores malae fuere, & tamen quot quantosque ad gustum DEi fructus procrearunt? quin & hodie Turcae, Judaei, Gentiles in malis habendi sunt arboribus, habent nihilominus fructus moralium virtutum tam sapidos, ut multi Catholici confundantur in eorum jejuniis, prolixis precibus, eleemosynis, & aliorum Virtutum exercitio. Quid multis? negari non potest ab ipsiusmet Sylvestribus Arboribus dulcissimos produci posse fructus, si videlicet ramis mitiorum arborum inoculentur juxta id Pauli Rcm. II. v. 17. Tu autem cum Oleaster es, insertus es in illis, & socius radicis & pingue-  
dinis Olivæ factus es. Respondet

ad hanc difficultatem Imperfectus homil. 19. & AUGUSTINUS lib. 2. de Serm. Domini c. 24. quamdiu quis malus est, non potest facere fructus bonos, si enim bonos fructus fecerit, jam malus non est. quæ responsio irrefragabilis est, si dicamus cum Theophylacto, Beda, Alberto Magno, Divo Thoma, Cajetano, Hugone, per malam arborem intelligi malam Voluntatem. mala enim voluntas licet opus ex se bonum operetur, male tamen per depravatam intentionem operatur. Aliter Jansenius ad verba Christi attendens, qui non dixit: *Arbor mala non potest bonum fructum sed bonos fructus facere*, sic ait: non potest fieri, ut hominis boni fructus omnes, vel plures vel potiores sint mali, nec etiam potest fieri, ut hominis mali omnes vel plures vel potiores fructus sint boni, malus enim ordinariè operatur male. Abulensis q. 29. per verba non potest, non impossibilitatem, sed magnam difficultatem esse accipendam putat. non potest arbor mala fructus bonos facere, cur non? propter malam consuetudinem, de qua jam nunc dicentem consuetâ accipite benevolentia.

Verissimum est, quod Aristoteles §. 2.

Facilius  
pellem &  
vitam,  
quam pra-  
vam exue-  
ris consue-  
tudinem.

teles lib. 1. de memoria docuit: *consuetudo est quædam natura.* quam difficulter Æthiops pellem, tam difficulter mutat pravus consuetudinem suam. *Æthiopem la-vo* dicebat Diogenes, cum depravatum corrigere studeret. Simili phrasí utitur Jeremias c. 13. *si potest mutare Æthiops pellem suam.* citius pellis & vita, quam prava exuitur Consuetudo. *Tyrannis est consuetudo, difficilis que expugnetur* ait Sanctus Gregorius Nyssenus lib. de Virg. c. 19. & Sanctus Chrysostomus in 2. Corinth. 4. *magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna ut perinde cogat ac natura.* Lazarum vocat Epulo, invocatque Abramum, illum suo ex sinu in infernum demittat; quo putas animo id fecit damnatus? crede Divo Chrysologo ita interpretanti Epulonis verba: *ad huc di-vitem malitia non deserit, quem jam possederat pœna, qui non se ad Lazarum vult deduci.* deditur Lazarum rogare & convenire, mallet illum socium pœnæ, quam se ejusdem associari gloriæ, tanta vis est consuetudinis! & cur Abrahamus Epuloni supplici non consensit, ut Lazarus in dominum Epulonis abiret, & quinque superstibibus fratribus prædicaret? quia inveterati malorum sunt, nec credituri, licet mortui resurgent. Narrat Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. c. 36. militem Stephanum ad inferorum supplicia deductum redditumque ad superos, post horrendorum visionem tormentorum vitam nihilominus non emendasse, sed in pristina relapsum sclera impenitentem spiritum exhalasse. De Cretensibus scribit Valerius lib. 7. c. 2. Cretenses cum acerbissima execratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, ut malâ consuetudine delectentur optant. nimurum sicut consuetudine

bonâ nihil est melius, ita malâ nihil deterius.

Daphnem deperibat Apollo, sed illa perire quam amare malebat, ideoque fugiens in laurum abiit, quam Apollo ut lib. 1. Met. canit Ovidius basiari non cessabat: *Oscula præbebat ligno,* è contra laurus renuebat: *refugit tamen oscula lignum.* nimurum assuescere multum est. *fugiamus consuetudinem* ait Sanctus Clemens Alexandrinus, *est enim barathrum:* impius cum in profundum venerit, contemnit prov. 18. v. 3. in profundum venire est peccatis assuferi ut explicat ep. ad Theodorum Divus Chrysostomus, huc cum devenerit, contemnit *Conscientiam* ait Hugo, contemnit supplicia, contemnit correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam inquit Lyranus.

Deinveteratis peccatoribus locutus David, figlino vasi eosdem comparat Ps. 2. v. 9. *tanquam vas fragili confringes eos,* quæ expendens Chrysostomus hom. 1. de illuminat, observat, quod quando Deus populum ex captivitate liberare volebat, Prophetas jussit ingredi in officinam figuli, ut Jeremiæ 18. v. 2. videre est; at vero si captivitas esset perpetua & salus desperata vas fistile confringi mandavit: *nam confracta vasa fistilia jam nullâ emendatione corrigitur.* Tales erant Sodomitæ homines pessimi, à quibus ut abstraheretur Loth, necesse fuit, ut Angeli apprehenderent manum ejus, seu ut Hebr. habent apud Oleastrum: *fortificaverunt se viri in manu ejus.* quasi novæ vires necessariæ sint Angelis ad hominem ex mala consuetudine retrahendum. imò ipsius Deihominis vires extendi oportet ad Lazarum aliquem ex sepulcro malæ consuetudinis provocandum, cum enim dixisset Christus Joann. 11. *Lazarus am-*

S. Cle-  
mens Alex-  
exhortat.  
ad gent.

§ 3.  
Peccator  
in veterat⁹  
similis est  
teftæ ve-  
tulæ.

Gen. 19.

*amicus noster dormit, subjunxit mox,  
sed vado ut à Somno excitem eum.  
malè phrasin Christi intellexere A-  
postoli, quibus clarius ille: Lazarus  
mortuus est, eamus ad eum v. 15. non  
dicit: Vado, sed: eamus, quia mor-  
tuus & fœtens Lazarus referebat  
habitatum peccatorem, cui con-  
vertendo Christum quodammodo  
multiplicari est necesse: Eamus.*

§. 4.  
In pecca-  
torum in-  
veteratum  
exercet  
demon  
utu capio-  
nem.

Psal. 48. de iisdem inveteratis idem Psaltes differens: *hæc via in-  
quit illorum scandalum ipsis, & postea  
in ore suo complacebunt. Sanctus  
Hieronymus legit: current, quasi  
dicat: initio pedetentim ibunt vias  
difficiles, deinde velociter propera-  
bunt, ab initio erit ipsa via pecca-  
toribus scando, offendentur enim  
super peccati turpitudine, postea  
verò complacebunt sibi in ipsa  
turpitudine. qui in via semel ceci-  
dit, aut membrum casu fregit, at-  
tendet sibi cautiūs, at in via pecca-  
torum accidit contrarium: multipli-  
catæ sunt infirmitates eorum, postea  
accelera verunt Ps. 15. post eadem  
peccata, ut Genebrardus explicat,  
properaverunt, ac si novam forti-  
tudinem à lapsu sicut Antæus à  
terra induissent. at dum currunt,  
verificatur Italorum proverbium:  
*cavallus currens sepultura aperta;*  
infernus in Scriptura idem sæpè si-  
gnificat, quod sepulchrum (*sepultus  
est in inferno:*) in hoc incurront,  
imò per postam appoperant inve-  
terati peccatores. unde quidam di-  
xit: si quis tutò ad infernum mitte-  
re velit epistolam, committat eam  
homini inveterato malorum. Nec  
dæmones cum ejusmodi multū  
laborant certi de preda, in qui-  
busdam dæmonum Conciliis inter-  
rogatus fuit dæmunculus, cur & ubi  
tam diu emanisset? respondit: ego  
laboravi, ut homo ille, cui deputa-  
tus eram, malos habitus compara-  
ret, deinde apud eundem diutius*

mansı, ut ad actus malos habitua-  
tum tentarem, quibus auditis dæ-  
monum princeps verberari dæ-  
munculum præcepit inquiens: an  
nescis malos habitus esse dæmoni-  
bus pejores? an nescis habitus esse  
arbores adultas, quæ sponte fructi-  
fiant? Sat erat efficere, ut arbores  
crescerent. Thomas Angelicus in  
Ps. 17. appositè: sicut homo præ-  
scriptionem acquirit possessione  
longi temporis super rem posse-  
sam, sic dæmon præscriptionem  
quandam videtur acquirere super  
peccatorem, cùm illum diu posse-  
derit, adeo ut non nisi per DEI virtu-  
tem possit homo liberari ab ea  
servitute.

Habitus pravi sunt instar resti-  
um seu habitus corporalis, ex qui-  
bus vel nuptialis vel infernalis ve-  
stis conficitur, hinc Maldonato in-  
terprete conviva ueste aptâ desti-  
tutus in carcerem mittitur. Ho-  
spes quidam uestibus suis gratias e-  
git, & non Meccenati, quòd admis-  
sus fuerit ad triclinium, priùs enim  
in vulgari uestitu fuerat exclusus, ità  
multi habitibus suis bonis gratias a-  
gere possunt aut in habitus malos  
causam refundere, quòd ad convi-  
vium cœlestē admittantur vel ex-  
cludantur. *mos est bonus, mos est ma-  
lus, binc infernus, inde salus.*

Malæ vim consuetudinis ex-  
pertus describit Sanctus Augustinus  
lib. 18. Confess. c. 5. ex voluntate  
perversa facta est libido, & dum ser-  
vitur libidini facta est consuetudo, &  
dum consuetudini non resistitur, facta  
est necessitas. en quomodo arbor  
mala bonum fructum ferre neque-  
at. exemplum non ità antiquum re-  
centissimus ex Sancti Augustini or-  
dine Concionator affert, cuius ipse  
„oculatus fuit testis. Dum ædes  
„alicujus nobilis transirem, de fe-  
„nestra evocatus fui ad excipien-  
„dam confessionem ægri; ascen-  
di

§. 5.  
Tragicum  
peccatoris  
inveterati  
exem-  
plum.

„ di & inveni hominem jam expi-  
 „ rantem , ad latus mulierculam  
 „ concubinam, confessus mihi fuit  
 „ æger peccata omnia, & quantum  
 „ judicare potui cum dolore. verum  
 „ ante absolutionem monui, illam  
 „ bestiam esse exturbandam ex do-  
 „ mo, rescindendam illam pernicio-  
 „ sam amicitiam, adeisse occasionem  
 „ proximam relabendi, magnam ef-  
 „ se vim corroboratæ in malo con-  
 „ suetudinis, qualem in illo adver-  
 „ teram. quid putatis ægrum re-  
 „ spondisse ? in supremo agone,  
 „ in lucta cum morte, in introitu æ-  
 „ ternitatis respondit , se id facere  
 „ non posse , nec velle. abii ergo,  
 „ cùm revocatus mox redii, spe ple-  
 „ nus aliam à cœlo, misero injectam  
 „ esse mentem, ipsum reperi sinè o-  
 „ mni sensu supremum trahentem  
 „ spiritum in manibus Concubinæ  
 „ tenentis ardente cereum. Sic  
 moritur, qui dum vita superest in  
 malignæ consuetudinis hærere  
 gaudet sepulcro. huic enim inge-  
 niosè comparatam consuetudinem  
 apud Augustinum lego ita de se-  
 pulcro Lazari discurrentem : *con-  
 suetudine malignâ pressi, tanquam se-  
 pulti, & ita sepulti, ut de Lazaro di-  
 stum est, jam putet, moles ipsa sepulcro  
 imposta, ipsa est vis dura consuetu-  
 dinis, quâ premitur anima, nec resur-  
 gere, nec respirare permittitur, nisi  
 JESUS succurrat & adjuvet.*

§. 6.  
 Symbolum in-  
 veterati pec-  
 catoris  
 Lazarus.

Egregia est observatio D. Chry-  
 sostomi, cur Christus de Lazaro re-  
 cens mortuo cum discipulis locutus  
 dormire eum dicat , & amicum  
 appellat : *Lazarus amicus noster  
 dormit* Joann. II. v. II. at non intelli-  
 gentibus phrasin hanc discipulis a-  
 pertè mortem Lazari exponens,  
 non eum amplius vocet amicum:  
*Lazarus mortuus est.* Vides in-  
 quit Orator Antiochenus *quomo-  
 do, quando dormientem vocat, ami-  
 cum appellat, quando vero manifeste*

*de morte meminit, jam pœnè amicitiae  
 oblitus fitur.* Peccatoris ex fragili-  
 tate delinquentis Symbolum est  
 Lazarus dormiens , & hic facile re-  
 dire potest in gratiam, ideoque a-  
 micus vocatur ; at vero peccatoris  
 ex consuetudine prævaricantis  
 Symbolum est Lazarus mortuus, &  
 hic non vocatur amicus , non quod  
 redire in amicitiam non possit, sed  
 quod redire non soleat , quidquid  
 autem fieri non solet, necessitatem  
 quandam inducit, nè fiat. Quod  
 ingeniosè observat Nyssenus in tri-  
 bus Evangelistis, quorum duo Mat-  
 thæus & Marcus affirmant solitum  
 esse Pilatum die Solenni vindictorum  
 aliquem in Judæorum gratiam car-  
 cere eliberare, Lucas vero afferit ne-  
 cessarium fuisse aliquem à Pilato  
 extradi. *per diem Solennem consue-  
 verat Praeses populo dimittere unum  
 vindictum Matth. 27. v. 15. per diem  
 festum solebat dimittere Marci. 15. v.*  
 6. Lucas vero c. 23. v. 17. asseverat:  
*neceesse autem habebat dimittere ei per  
 diem festum unum.* quod consuetu-  
 do induxit, necessitas continuavit.  
 similiter qui male agere consuevit,  
 impossibile sibi existimat agere be-  
 ne: *non potest arbor mala bonos fru-  
 tus facere.*

Vivam inveterati peccatoris i-  
 maginem exhibit miserandus ille  
 energumenus, cui malignus Spir-  
 itus linguae aurium & oculorum u-  
 sum ademerat, & jam in ignes, mox  
 in aquas jaçtabat Marci 9. cuius  
 sortem miserati Discipuli exorciza-  
 re iniquum hospitem tentarunt, sed  
 frustra, pertinacior enim fuit ini-  
 micus, quam ut Apostolorum jus-  
 sis obsequeretur. Recurrit proinde  
 Pater Energumeni ad ipsum gratia-  
 rum & curationum fontem Iesum,  
 ad cuius pedes abjectus calamita-  
 tem suam ex eo immodicam expo-  
 nit, quod à Discipulis Iesu malignus  
 hospes exturbari non potuerit: *dixi*  
*disci-*

§. 7.  
 ItemEner-  
 gumenus  
 lunaticus.

discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. quid causæ? quod simul sumti Apostoli post tot alios è miserorum corporibus profligatos dæmones hunc unum non expulerint? ex interrogatione Salvatoris facile erit causam conjicere, sciscitur proinde Dominus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia. ecce causam, cur hospitio, quod longi temporis præscriptione suum dæmon fecerat, nolit decidere post tam diuturnam immorationem. jubetur nihilominus supremæ potestati cedere, nec unquam amplius reverti. ita enim JESUS intonat: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius nè introeas in eum v. 24. cur tantâ verborum severitate utitur, & expressum interponit de non revertendo mandatum? respondet Euthymius: hoc dixit prævidens quod futurum erat, ut rursum ad eum reverteretur, prohibet ergo. licitum sibi putat Diabolus longaque experientia perfacilem esse comperit regressum à privatione ad habitum, quando videlicet in poenitente diuturna peccandi Consuetudo prævaluit. pejus dæmone peccatum est, & facilis legiōnem dæmonum integrum, quam inveteratum peccatum expuleris, cum hoc sponte admittatur, illi verò violentē feso in animam intrudant.

Gloriantes de sua nobilitate Iudeos, quod semen essent Abrahæ, & nulli unquam servivissent, hisce verbis incarnata Sapientia perstringit: *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Joann. 8. v. 34. nemo de libertate glorietur, si libertate abusus suā, consensit peccato; jam enim non liber amplius, sed servus est. quare servus? quia in castrum animæ suæ tyrannum admisit, qui

tantâ libidine vexabit, tantâque vis exagitabit animum, ut poenè cogat plura admittere peccata. audiamq; præclarum Dominicorum verborum interpretem Cardinalem Cajetanum: *peccatum remanens dominatur in animo trahendo ad aliud peccatum tantâ & tali efficaciâ, ut oporteat hominem subiectum peccato, nisi pœnitiat, denuo peccare.*

Multis similitudinibus Doctrinam hanc venustat Chrysostomus, & inveterata scelera abolendi difficultatem ac quandam velut impossibilitatem verbis hisce insinuat: planta quidem humi consita facile revellitur, per multum verò temporis radicibus firmata non itidem. Et ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè subvertitur, bene verò firmatum, multa negotia diu ruere conantibus præbet. & fera quibus locis multum temporis est conversata, difficulter expellitur. & sicut febris ab initio aggressa non magnâ siti laborantes exurit, postquam autem invaluerit, & flammarum extulerit, jam sitim inducit immedicablem, sic & in vitorio accidit affectu, si se circa primordia in animam nostram inserentem non prohibuerimus, neque fores occulserimus, ingressus jam insanabilem susceptoribus morbum infert. Hæc ad verbum Antiochenus Orator. Comparant alii malam consuetudinem clavo Sisaræ; quo caput Archistrategi à Jahele terræ fuit affixum Jud. 4. conatus sine dubio furerit clavum Sisara eximere, sed frustra. alii malam Consuetudinem vocant malam illam uxorem, quam qui duxit, impossibile sibi dixit coenam Evangelicam adire: *uxorem duxi: non possum venire* Luc. 14. aliis hedera placet circumplexa querum cum lemmate: *nec recisa redet.* aliis asbestos, ubi ignem conceperit, restingvi non potest: *semper*

§. 8.  
Malæ consuetudinis vis variis similitudinibus exponitur.

## PROBLEMA IX.

52

*ardebit.* aliis aquila à dipsade serpente maculoſo morsa inextinguibilem nutriens ſitum : *ſemper ardentius.* aliis crocodilus hominem devorans : *plorat & vorat.* nimirum propter Malam Conſvetudinem commiſſa flemus, flenda committimus. aliis ursus ad mel fervens combustâ līcet lingvâ illicē rediens : *nocet & deleat,* aliis fomes accensus : *vivit ad extreum.* aliis fluvius ipſo progreſſu crescens : *Vires acquirit eundo.*

§. 9.  
Duplex  
extirpan-  
dæ malæ  
Conſvetu-  
dinis re-  
medium.

Verū nihil obſtantibus hiſce quæ diximus omnibus non eſt deſperanda malarum conſvetudinum extirpatio, ſi duo illa obſerventur præſcripta : *Vigilate & Orate.* audiāmus vocem Domini monentem, commonet Chryſologus ferm. 43. Orate nè intretis in tentationem, in tentationem vadiſ, qui non vadiſ ad orationem. verè noſ uit redē viuere, qui redē noſ uit orare inquit D. Auguſtinus homil. 4. ex 50. Ingens præſidium eſt adverſus omnes naturæ perversæ motus, vigiliæ conjuſta oratio. vigilaffent & oraffent Apoſtoli, nulla eos tentatio apprehendere potuifet. tentatiſunt Discipuli Domini deferendo, qui ſomno potius indulſerant, quam Orationi Ter- tull. lib. de orat Dom. Felicius Pe- tro egit Paulus, de quo Act. 16. v. 25. mediā autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Dominum. ecce vigiliam orationi conjuſtam, cuius fructum mox ambobus licuit expiri. ſubito vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur funda- menta carceris, & ſtatiuſ aperta sunt omnia oſtia, & uniuerſorum vincula ſoluta ſunt. Praeclariffima hæc eſt figura eorum, qui pravis conſvetudinibus quaſi vinculis conſtricti in carcere vitiorum hærent, à quibus ut absolvantur vigilant & o- rent. Paulus & Silas cum in ner- vo pedes haberent, inquit Sanctus

S. Ambro-  
ſius in  
Pl. 118.

Ambroſius, mediā tamen nocte ſur- gebant mentis veſtigio, exorabant Dominum & laudis Sacrificium of- ferebant, ideoque ubi non defecit devotionis officium, adfuſit etiam ſolutionis remedium. facile prava- rum Conſvetudinum ſolventur vin- cula, ſi orationum nobis non defue- rint præſidia. Orandum eſt, & qui- dem per illorum Sanctorum suffra- gia, qui ex pravorum habituum vinculis feliciter expediti ſunt: qua- les Latro poenitens, Auguſtinus, Magdalena, centenique alii fuerunt. Orandum eſt per Sanctorum omniū cineres & merita, per Virgi- nis Matris dolores ac amores, lac & lacrymas, per JESU Salvatoris no- stri Sacratissimum nomen, vulnera, fangvinem, & quidquid Sacrum ac Sanctum eſt. Orationi jungatur vigilantia, quā juxta conſilium & phrasim S. Bernardi inducias à no- bis impetremus, quas cum DEo in- eamus, & à mala Conſvetudine tri- duo quatriduōe ſub mulcta in ære vel pelle certò perſolvenda, ſi in ye- titum relabi contingat, nobis inter- dicamus; adhibita insuper exami- niſ ut vocant particularis induſtria, per quam certo certius faciemus duraturam de priori neceſſitate vi- ſtutem.

§. 10.  
Emblema.

In Emblema ſit Sylvestris py- rus, in qua geniolus fruſtra dulcem inquirit fructum, niſi reſectos ramos mansuetiori inoculet arbori; lem- ma Evangelice conſonet ſententiæ: *Non facit h.e.c Arbos aliter.* vel Go- morrhæe pomo inſcribamus: *Manet vitioſa propago.* ſub arbore Cancer ſit, qui ut velit, retrogrado nunquam abſtinet gressu: ſic ſemper & ibat & ibit. vel reducem ad mel- la muſcam, līcet decies abaſtam hoc lemmate donemus: *nitimur in ve- titum.* vel Prodigii de grege pecus ad ſuum rediens volutabrum hac epi-

epigraphe signemus : *nimirum in fœtidum.* Nimirum Consuetudo, altera Natura, de qua populari voce canitur : *expellas furcā, tamen usque redibit.*



## PROBLEMA X.

Quis diffamaverit Villicum?

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

*Diffamatus est. Luc. 16. v. I.*

§. 1.  
An Villi-  
cum ini-  
quitatis  
diffamā-  
rint boni  
Angeli.

**D**iffamatum esse villicum audivimus, à quo diffamatus sit, à domesticis an extraneis, ab amicis hominis deditis, an inimicis, ab Angelis an dæmonibus? nescimus. Angelos bonos fuisse suspicor, qui clientum suorum injurias à villico iniquitatis irrogatas ferre diutius noluerunt, sed in sanctissimas accensi vindicias repræsentavere Divinæ Justitiae injustissimi Villici fraudes & nequitias. Accedit quod Evangelista, obseruet diffamatum esse villicum *quasi dissipasset*, non quod absolute dissiparit Domini substantiam, sed quasi dissipasse visus sit, quæ deferendi modestia in alios vix cadit quam bonos Angelos, qui in ipsa delatione diminuere potius quam exaggerare nostros solent errores, & ut verbis D. Athanasii utar possibilitatem etiam relegant mendacii, hoc est, ita speciem facti repræsentant, ut nec umbram falsitatis admisceant, ideoque non dissipatorem appellant, sed diffamatum duxaxat proponunt, *quasi dissipasset*. Militat hæc quidem ratio pro bonis Angelis, sed fortior in contrarium urget, diffamatorem vi-

delicet fuisse diabolum, qui juxta nomen suum *Calumniator*, & generalis titulus est *Accusator fratrum*, cuius una voluptas & indefessus labor, accusare servos ante conspectum DEI. & quia særissimè jam convictus est mendacii, non audet dicere, dissipata esse bona Domini, sed *quasi* dissipata ut majorem accusationi suæ adstruat fidem, quam tamen nec hoc astu impetrat, quin prius prudentissimus Dominus reum accersat, & percontetur: *quid hoc audio de te?* quasi non libenter audiat Dominus, quod delatus male audiat servus, mallet enim illum in honore & optima apud omnes esse existimatione, quam nescio cuius infidelitatis insimulari. hic nimirum semper fuit eritque DEi nostri & omnium DEO devotorum genius, bonæ aliorum famæ optimè consulere, quod lectissimis aliquot figuris expendendum dabo.

DEI nostri personam in theatro Evangelico gesxit bonus ille mali filii Pater, qui resipiscenti prodigo post paternam dissipatam substantiam, vestes prius quam panem adferri jussit, et si panem is non vestem pateret; quasi doceret, honorem ma-

§. 2.  
Etiam im-  
piorum  
famæ cu-  
ram gerit  
DEUS.